

in terras circumjacentes annuntiando haereticis et schismaticis Verbum Domini.

2. De primaria missione inquisitoria Franciscanorum

A. De actione Provinciae Sclavoniae

Franciscani adhuc vivente Seraphico Patriarcha Francisco in croaticas regiones venerunt. Ipse quoque S. Franciscus a. 1212 in partes Syriae transfretare volens »ventis contrariis flantibus in partibus Sclavoniae cum caeteris navigantibus se invenit«¹⁰⁰ ibique bonum semen suae religionis seminavit. Ex conservatis enim documentis patet jam sequentibus annis, post 1222, fratres in maritimis partibus Croatiae conventus possidere provinciamque ex ipsis constitutam sub titulo »Provinciae Sclavoniae« ante a. 1235 habere.¹⁰¹ Eodem hoc tempore fundantur monasteria: jaderinum, spalatense, traguriense, ragusinum, tergestinum, muglense, sebenicense et polense.¹⁰² Quo usque vero territorium hujus provinciae illis temporibus protenderetur, non est facile cum certitudine determinare.¹⁰³ Si catalogi provinciarum inspiciantur, hanc Sclavoniae provinciam videmus habere quatuor custodias: ragusinam, jadrensem, arbensem et Istriam.¹⁰⁴ Ergo, certe maritimis regionibus Adriatici maris extendebatur, seu Dalmatia cum Istria. Sed ex epistola Bonifacii Papae VIII ad ministrum provincia-

¹⁰⁰ Fr. Thomas de Celano, Vita prima s. Francisci, n. 55, in *Analecta Franciscana*, X, (s. a., s. l.) 42. De anno 1212 et mense quo s. Pater Franciscus se invenerit in partibus Sclavoniae et in quali loco, inter alios scriptores, cfr. Mandić D., Boravak sy. Franje Asiškoga u hrvatskim krajevima, in *Nova Revija*, V (1926), 223 ss.

¹⁰¹ Rode B., De antiquitate Provinciae Sclavoniae O. F. M. nunc Dalmatiae, in *Archivum Franciscanum Historicum*, I (1908), 508 ss; Milošević J., De Provincia Sclavoniae, *AFH*, I (1908), 235 ss.

¹⁰² Rode, ibi, 513.

¹⁰³ Sub nomine »Sclavoniae« veniebat totum territorium ubi Croati et Serbi habitabant, ut distingueretur a partibus juxta litora maris Adriatici ab incolis romanis inhabitatis, quae Dalmatiae nomine appellabantur. Sed postea penetrantibus Slavis etiam in oppida maritima Dalmatiae evanescit haec differentia atque sub nomine »Sclavoniae« continentur partes maritimae a Tergeste in Istria usque ad montes Albaniae. Cfr. Mandić, o. c. 227.

¹⁰⁴ Rode, o. c. 513.